

V
B
J
C

# CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

Juxta Mentem S. THOMÆ Aquinatis Angelici Quinti Ecclesiæ DOCTORIS.

*Infra Ejusdem annuæ Festivitatis Solemnem Octavam*

*PRO*

Publicis Disputationibus in Conventu & Studio Generali Cracoviensi ad Ædem SSmæ TRINITATIS PP. Ord: Prædicatorum

# EXPOSITÆ.

*Anno Domini* 1775. *Mense Martio.*

---

CRACOVIÆ Typis Collegii Majoris Universitatis.

Volumus & tenore præsentium vobis injungimus, ut Beati Thomæ Doctrinam tanquam veridicam, & Catholicam sectemini, eamq; studeatis totis viribus ampliare. *Urbanus V. ad Tolosanam Academiam.*

Hujus Doctoris (1) Doctrina præ cæteris exceptâ Canonicâ, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem Sententiarum: ita ut nunquam qui eam tenuerit inveniatur à veritatis tramite deviasse, & qui eam oppugnaverit, semper fuerit de veritate suspectus. *Innocentius VI.*

Doctrinæ S. Thomæ Aquinatis Divinæ Voluntatis interpretis, vitæ sanctitate & miraculis clari, tantùm fuit tributum, ut Christianæ eruditionis suæ, Divinum etiam illud habeat testimonium, sicuti piè testatur historia: Bene de me Thoma scripsisti.

*Benedictus XIV. in Brevi dato Aô. 1752.*

(1) idest S. Thomæ de eo enim loquitur:

# Ex Tractatu De Virtutibus in Communi.

I.

Appetitus Sensitivus, prout Natus est Obedire rationi, est subjectum Virtutis, scilicet Temperantiæ & Fortitudinis.

II.

Præter Virtutes Morales acquisitas, sunt aliæ à Deo per se nobis infusæ.

III.

Virtutes morales acquisitæ in statu perfecto sunt ita inter se connexæ, ut qui unâ caret, nullam perfectè habeat.

IV.

Possunt esse sinè charitate veræ Virtutes morales acquisitæ, sicut fuerunt in multis gentilibus, sed imperfectæ.

## Ex Tractatu De Vitiis & Peccatis.

I.

Omne vitium, tam illud quòd opponitur virtutibus acquisitis, quàm illud, quod opponitur Virtutibus infusis, est contra naturam hominis.

II.

Peccatum Commissionis in ratione mali moralis formaliter constituitur per aliquid positivum, scilicet per tendentiam actus humani ad Objectum ut regulis morum difforme.

III.

Peccatum Omissionis fit inchòátivè & quo ad affectum quando ponitur Causa; consumativè verò & quo ad effectum; quando adest tempus implendi, modo tamen omissio maneat Voluntariâ in sua causa.

IV.

Peccata Commissionis & Omissionis in esse moris considerata, si circa idem objectum ex eodem motivo procedant, sunt ejusdem speciei.

V.

Non tamen omnia sunt paria.



VI.

VII.

Voluntas est subjectum peccati formaliter sumpti.

VIII.

Verùm non solâ duntaxat Voluntas, sed etiam appetitus sensitivus & ratio sunt subjectum peccati formaliter sumpti, non tamen membra, aut sensus externi.

IX.

Nullum peccatum formaliter sumptum etiam Veniale potest esse in, & à solo appetitu Sensitivo, absq; actuali aliquo influxu, saltem interpretativo Voluntatis.

X.

Undè motus sensualitatis primò primi, nimirum qui omnem rationis advertentiam prævertunt, aut ii quos inviti patimur, quantumvis versentur circa objecta graviter illicitâ, non sunt peccata, nequidem Venialia.

XI.

Potest dari ignorantia invincibilis juris positivi Divini non solum apud Infideles, quibus non est anunciatum Evengelium, sed etiam apud Fideles, quibus est anunciatum.

XII.

Eadem ignorantia potest dari in adultis perfectum usum rationis habentibus, juris naturæ quo ad præcepta remotiora & obscuriora.

XIII.

Ejusdem juris Naturæ ignorantia invincibilis axcusat à peccato formali operantem ex ea.

XIV.

DEUS nec est, nec esse potest per se & directè causa peccati.

XV.

Peccatum Originale, secundùm Fidem Catholicam tenendum est traduci in Posteros Adæ.

XVI.

Hujus peccati essentia, seu formale constitutivum consistit in privatione justitiæ Originalis quo ad primarium ejus effectum, ut Voluntaria nobis Voluntate Capitis.

XVII.

Fabulosum est Præ-Adamitarum systema, Verbo Dei contrarium, & nullo probabili fundamento nixum.

XVIII.

Parvuli morientes cum solo originali peccato non patiuntur pænam sensus.

XIX.

XIX.

Iidem morientes cum solo originali, nullam tristitiam nullumve dolorem percipiunt ex privatione Visionis Beatificæ, non sunt tamen Beati Beatitudine naturali.

XX.

Dantur peccata venialia, non solum ex conditione peccantis, aut ex Dei misericordia, sed ex natura sua à mortalibus distincta.

## Ex Tractatu de Sacramento Pænitentiæ.

I.

Christus Dominus concessit Ecclesiæ suæ Potestatem remittendi peccata omnia post Baptismum commissa, quanquàm ea gravissima fuerint, adeò ut nullum prorsùs sit in hac vita crimen irremissibile.

II.

Pænitentia, quæ in Ecclesia agitur, est verum & propriè dictum Sacramentum à Sacramento Baptismi ejusq; memoria distinctum.

III.

Materia remota ejusmodi Sacramenti Pænitentiæ sunt peccata post Baptismum commissa, ut detestanda & destruenda: mortalia quidem, materia necessaria, venialia verò, materia libera. Actus autem pænitentis videlicet: Contritio, Confessio, & satisfactio habent rationem materiæ proximæ, seu partium materialium componentium intrinsecè hoc Sacramentum.

IV.

Forma conveniens & legitima dicti Sacramenti, communiter his exprimitur verbis: Ego absolvo te à peccatis tuis &c. Sacerdosq; eorum prolatione non solum declarat, seu ostendit peccata esse dimissa, sed ea verè remittit.

V.

In Sacerdote tamen præter potestatem Ordinis, necessaria est potestas Jurisdictionis vel ordinaria, vel delegata non solùm ut licita, sed etiam ut valida sit ejus absolutio.

VI.

Pænitentia, si sermo de ea instituatur prout est virtus, certùm est eam quoq; esse virtutem propriè dictam.

VII.

VII.

Effectus Pænitentiæ internæ est remissio omnium peccatorum, quo ad culpam & pænam æternam.

VIII.

Dimissâ nihilominus culpâ, & pænæ æternæ reatu, peccator sæpenumero manet obnoxius pœnæ temporali luendæ vel in hac vita per actus satisfactorios, vel in alia per supplicium Purgatorii.

IX.

Unum peccatum mortale nequit homini per pænitentiam remitti sine alio.

X.

Peccatum etiam veniale non potest remitti sine ulla pænitentia, quæ tamen non necessariò debet esse Pænitentia formalis, sed sufficit virtualis.

XI.

Remissa semel per pænitentiam peccata non redeunt simpliciter per peccatum subsequens, sed secundùm quid tantùm.

XII.

Opera tamen bona per peccatum mortificata reviviscunt per pænitentiam, & quidem secundùm gradum & mensuram dispositionis, seu contritionis, quâ peccator resurgit pænitentiâ sequenti.

## De Partibus Sacramenti Pænitentiæ.

I.

Contritio est animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cæterò.

II.

Essentia Contritionis non consistit formaliter in his tribus, sc: in dolore, odio, & proposito, sed formaliter in solo dolore, præsuppositivè in odio, & consecutivè in proposito.

III.

Quamvis omnibus sit svadendum tanquam salutare consilium, statim post peccatum conteri: Attamen præceptum contritionis, non obligat per se statim ac peccatum commissum est, nec statim ac memoriæ occurrit, neq; singulis Dominicis, & Festis.

IV.

IV.

Contritio Charitate perfecta non solùm in casu necessitatis, sed etiam extra casum necessitatis hominem Deo reconciliat, antequam Sacramentum actu suscipiatur.

V.

Attritio seu dolor de peccatis ex solo gehennæ metu, sine Dei amore benevolo etiamsi non dum sit satis efficax ut absolutè excludat omnem peccandi voluntatem, si tamen ad id conetur, & inducat, nec sit serviliter servilis, est bonus, honestus & utilis.

VI.

Cæterum ad Justificationem cum Sacramento Pænitentiæ consequendam attritio metu concepta non sufficit, sed necessarius est amor Dei benevolus.

VII.

Confessio Sacramentalis est omnibus post Baptismum lapsis necessaria Jure Divino, ut pote à Christo Domino instituta.

VIII.

Præceptum Ecclesiasticum Confessionis obligat semel in anno.

IX.

Legitimus autem Minister hujusce Confessionis Sacramentalis est solus Sacerdos.

X.

Confessio annua facta cuilibet Sacerdoti à summo Pontifice vel Episcopo delegato & approbato, non requisitô consensu Sacerdotis Parochialis, est valida, & licita, eâq; satisfit Canoni: *Omnis utriusq; sexus.*

XI.

Religiosi Mendicantes habent Jurisdictionem excipiendi Confessiones Sæcularium à summis Pontificibus mediante approbatione Episcopi.

XII.

Quilibet pænitens in fine vitæ hoc est in articulo mortis potest absolvi à quolibet Sacerdote, consequenter etiam ab excommunicato, degradato, schismatico, hæretico.

XIII.

XIII.

Absolutio differenda est cosvetudinario, qui semel atq; iterum monitus, & correptus à Confessario, neglexit remedia ab ipso præscripta, nec se emendavit, quousq; factis emendationem probaverit; quantumvis dicat nunc se pænitere, & esse ad omnia paratum.

XIV.

Sacerdos Jure naturali, Divino, & humano, prohibetur revelare in quovis casu, sive directè, sive indirectè peccata audita in Confessione Sacramentali.

Ad Majorem DEI Gloriam B. V. MARIÆ Honorem
S. THOMÆ Aquin: Ang: quinti Ecclesiæ Doctoris
ac OO. SS. Venerationem.



